Quum anno priore de ea re, de qua jam per undecim commentationes verba fecimus, dissereremus, quamque nunc denuo persequi in animo nobis est: exposuimus,[1]) quanta sit similitudo inter philosophos et poëtas profanos originem mundi narrantes et inter Genesin eandem describentem, neque tamen Thaletis fecimus mentionem, quem Cicero (de nat. deor. I, 10.) ait habuisse aquam pro rerum initio, ex qua deus cuncta finxerit, quoniam ex aqua terram factam esse Genesis non dicit. Videtur tamen etiam Thales, celeberrimus quippe philosophus Milesius, hic non negligendus esse, propterea quod secundum Genesin omnia aqua tecta fuisse videntur. Narrat quidem Moses, terram fuisse vastam et vacuam, sed mentem dei non dicit terrae, sed aquis impendisse (Gen. I, 2.); ex qua re nobis suspicio orta est, etiam auctori Genesis visam esse aquam rerum omnium principium, et haec quidem caussa est, cur hanc Thaletis sententiam hic adjiciendam esse arbitrati simus.

Neque hoc ignotum est profanis scriptoribus, quod homines dederunt nomina bestiis (vid. Genesis II, 19. 20.). Nam Euryphamus, philosophus Pythagoreus Metaponti natus seculo ante Christum quadragesimo librum de vita scripsit, cujus fragmenta nobis Jo. Stobaeus asservavit, apud quem (edit. Tigur. 1559. pag. 556.) ita legimus: homo *ὀνόματα μὲν ἔθηκε τοῖς πράγμασι.* Quum ergo nomina rebus omnino ab homine data esse dicat, non potest dubium esse, quin Euryphamus censuerit, ea etiam bestiis ab eo data esse. Eodem loco natura humana divinae aequalis (*ἀντίτιμος*) esse dicitur, de qua re anno priore scripsimus Part. XI. pag. 12. 13.

Deinde Platonem introduximus[2]) verba facientem de hominibus in unum locum congregatis, qui quum antea sparsi habitassent (*ᾤκουν σποράδην, πόλεις δὲ οὐκ ἦσαν*), a bestiis perdebantur, quibus omni ex parte imbecilliores erant,[3]) itaque quo melius a bestiis defendi possent, urbibus condendis

[1]) in parte XI. pag. 9. sqq. [2]) Cfr. Pars XI. p. 14.

[3]) Plat. Protagor. ed. Ast. I. p. 32. seqq. 322.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

operam dederunt, sed frustra, consilio per injurias, quibus se invicem affecerunt, disturbato. Quae quidem a Platone ita exposita sunt, ut bene conveniant cum iis, quae in libro Genesis XI, 7. 8. enarrantur de exstruenda turri Babylonica et hominibus per rixas ibi dissipatis. Nam verbum בלל confundere, cum Vitringa (vide Observatt. sacr. lib. I. cap. 9. §. 6. sqq.) et Jerusalemo (vid. ejus Betrachtungen über die vornehmsten Wahrheiten der Religion, sectio III. p. 109. sq.) de animorum dissensione et consiliorum diversitate intelligere licet, ita ut: „ne quis audiat labium alterius" nihil aliud significet, nisi hoc: „ne alter ad alterius consilium se componat." Sed fusius jam ante hos quadraginta tres annos in libello „de lingua primaeva ejusque in lingua hebraica antiquissima reliquiis," quo defendendo V. Calend. Februarii MDCCC, quum jam anno priore XVI. Calend. Nov. summi in philosophia honores in nos collati fuissent, licentiam scholas academicas habendi nobis comparavimus, hunc locum interpretati sumus pag. 10. 11. atque ita in sermonem latinum convertimus: v. 7. „jam descendamus, confusuri[4]) eorum linguam ita, ut alter alterum non intelligat. v. 8. Quare[5]) Jova per totum orbem homines sic dispersit, ut ab urbe aedificanda desisterent." Quia enim nobis explicatio Vitringae paullo audacior esse videbatur, quippe qui locutionem: „linguas confundere" intelligat de dissociatione et dissidio animorum, atque

---

[4]) וְנָבְלָה, et confundamus; forma grammatica a vulgari recedit. Nam quia בלל verbum gem. ע est, 1 pers. fut. Kal. plur. est נָבֹל, et si ה paragogicum, quod significat, voluntatem esse aliquid faciendi, (agedum faciamus) adjungitur, נָבֹלָה, de qua re vid. Gesenii Lehrgebäude p. 372. Quia haec forma aliquid difficultatis habet, erant, qui deducerent a נבל, impius fuit, et ita interpretarentur: impium erit eorum labium, quod quidem grammaticae regulis plane aptum esset et cum Platonico ἠδίκουν ἀλλήλους optime conveniret. Sed quae v. 9. leguntur, ea ostendunt, verbum וְנָבְלָה a בלל repetendum esse, nisi forte errori interpretis debentur.

[5]) Quodsi ו ab initio v. 8. „quare" redditur, quem significatum obtinet Gen. II, 1. III, 6. 7. IV, 11. aliis locis missis, quum ex ipso hoc libro eum probare malimus, in hoc loco non legitur, quod ibi multi reperisse sibi videntur, Jovam per linguarum confusionem homines dispersisse, sed potius hoc: eum per eorum dispersionem linguas confudisse. Quid vero significetur eo, quod haec omnia a deo facta esse dicuntur, praeter alios illustravit Frid. Guil. Hezelius in libello: „Geist der Philosophie und Sprache der alten Welt" P. I. pag. 82.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Perizonii (in Origg. Babylon. cap. 9. pag. 149. sqq. edit. Lugd. Bat. 1711.) interpretatio, secundum quam nulla caussae confusionis mentio in hoc loco invenitur, rem ad miracula referre et miracula praeter necessitatem augere videbatur, ipsi statuimus, deum eo consilio, ut confunderet linguas, homines dissipasse, dissipationem caussam confusionis fuisse; qua ratione vero dissipaverit, non indicari, sed probabile esse, hoc factum esse per discordiam, quae in tanto conatu facile oriri potuit, ἠδίκουν ἀλλήλους, ut Plato narrat, et sic qui uno loco conjungi vellent, dissipati sunt. Ita conspicua quaedam atque insignis apparet similitudo in rebus antiquissimi temporis enarrandis inter vetus foedus profanosque philosophos, inprimis si נָבָלָה de impietate explicare liceret, quae hoc verbo indicatur 1. Sam. XXV, 25. coll. v. 3. רַע, 2 Sam. III, 33. non mortuus est, ut scelestus, Psalm. XIV, 1. negat impius, deum esse, coll. Psalm. LIII, 2.

Neque negligendum est in similitudine observanda, quod et illi, de quibus Plato, et hi, de quibus Moses refert, se uno loco conjungere et hac re contra aliorum hominum et bestiarum impetus tueri volebant. Nam שֵׁם Gen. XI, 4., quod vulgo nomen interpretantur, et gloriam intelligunt, cum Perizonio ex lingua arabica intelligimus rem elatam, signum; alta enim turri procul conspicienda, unde digressi erant, eodem reduci volebant. In libello ante laudato etiam de hoc vocabulo verba fecimus. Similiter, sed non aequaliter, nomen ab Ennio dicitur in his versibus: (Annal. XVI. edit. Hesselii, Amstelod. 1707. pag. 113.)

Reges per regum statuas sepulcraque quaerunt,
Aedificant nomen, summa nituntur opum vi.

Quod vero mulierem attinet, haec nata esse fertur post virum. Solus, quantum compertum habemus, contra affirmavit et probare studuit, Evam ante virum esse natam, Godofr. Hermannus, sagacissimus ille, cui hoc argumento est, quod feminae natura minus perfecta sit, quam viri, imperfectum autem perfectius antecedere soleat.[6]) Quodsi ex costa viri formata esse dicitur, hoc quidem hebraicae narrationi proprium est, nec tamen ea, quae hac historia depingitur, arctissima feminae cum viro conjunctio, atque voluntas mulieris in maritum, viri in uxorem propensa sagacitatem profanorum philosophorum effugit

[6]) Leguntur quae de hac re scripsit, in Christ. Frid. Illgenii ephemerid., quibus theologia hist. illustratur, (Zeitschrift für die historische Theologie) 1840. fasc. I. pag. 61. sqq.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

atque ab iis neglecta est. Elegantissime eam Plato adumbravit in Symposio (ed. Astii tom. III. p. 468. sqq. 189. sqq.), in quo repetuntur sermones de amore in convivio Agathonis postridie, quam prima ejus tragoedia palmam acceperat, habiti. Multis de amore disputatis Aristophanes ita disseruisse dicitur: deorum amantissimum hominum (φιλανθρωπότατον) esse Amorem, quippe qui sanet hominibus vulnus maximum, quo curato summa humano generi sit felicitas, pristinam hominum naturam plane aliam fuisse, quam nunc sit, tria fuisse genera hominum, praeter sexum virilem et muliebrem etiam androgynorum, qui nunc exstinctus sit, figuram hominis conspectam esse rotundam tergo et lateribus undique cinctam (κύκλῳ ἔχον), manus habuisse quatuor, totidemque pedes, duas facies in cervice orbiculata, sed unum caput, quatuor aures, et genitalia duo, vel duo virilia vel duo muliebria, vel unum virile, alterum muliebre, erectos incessisse, et octo membris innitentes celerrime in orbem circumlatos esse, virile genus fuisse solis progeniem, femineum terrae, androgynorum lunae, ac rotundam formam et globosum incessum accepisse homines a rotunditate solis, terrae et lunae, atque robore et fortitudine insolentes solitos esse deos lacessere; quare Jovem iratum, ut imbecilliores essent, quemque eorum in duas partes dissecuisse, simul ut plures essent, qui deum colerent, minatum adeo, si porro lascivirent, se eos denuo dissecturum ita ut uno pede salire cogantur, vulnus autem ab Apolline sanatum esse; sic hominibus divisis exortam esse cupiditatem dimidium sui quaerendi, ergo appetitum amoris, quippe qui cuperent coalescere seque manibus amplecterentur, mortuo uno dimidio aliud quaeri solere, ut unum fiat ex duobus et natura humana integra restituatur, nam quemque hominem esse segmentum, eos vero, qui duplices viri fuerint, virorum petere consuetudinem, eos, qui duplices exstiterint feminae, se inclinare ad mulieres potius, quales ipsae sint, quam ad viros, illos contra, qui partim virilem, partim femineum sexum habuerint, alterius sexus semper esse appetentes. Commemorat hanc fabulam admodum facete excogitatam Eustathius in commentariis in Iliadem XI, 749. (edit. Lips. tom. III. pag. 82. sq.), ubi de duobus fratribus Molionibus disserit, qui quidem nomen acceperunt vel a matre Molione, ut sit ex *Μολιονίων* per syncopen factum *Μολίων*, vel secundum alios a patre Molo, qui idem Actor fuit, unde etiam *Ἀκτορίωνε* dicuntur. Erant Cteatus et Eurytus, quamquam sunt, qui hos filios Neptuni fuisse referant. Hi duo fratres uno corpore duo capita habebant, quatuor oculos, totidemque manus et pedes. Alii ambos dicunt

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

uno fuisse corpore conjunctos, *συμφυεῖς*, alii *διφυεῖς*, ita ut singuli duo capita, quatuor manus et pedes atque unum corpus habuerint. Cfr. Schol. ad Iliad. XI, 749. (tom. III. p. 83.). Sic fuerunt simillimi illis, qui in Platonis Symposio describuntur, hominibus primis, ex quibus quum in duas partes divisi essent, homines, quales nunc vivunt, facti sint. Possis arbitrari, illos Moliones ex antiquissimis temporibus superstites fuisse, nisi hoc superstitiosi esse videretur. [7]) Nos hoc tantum hic observari volumus, quod femina pars viri esse visa est scriptoribus hebraicis pariter atque graecis, quamquam hi dissecandis corporibus humanis, illi costa ex corpore viri eximenda feminam progenitam esse statuebant. Propterea אִשָּׁה dicta est ab אִישׁ, vir, sicut apud Festum grammaticum [8]) virae querquetulanae, nymphae quercetorum praesides, nomen a viro habent, a quo vocabulo etiam virgo originem deducit. [9])

Cteatum et Eurytum Eustathius etiam *φιλαδέλφους* fuisse dicit, *καὶ μιᾷ ψυχῇ ἐν δυσὶ σώμασι διοικουμένους*, qui uno animo in duobus corporibus disjuncti habitarent. Cui non in mentem veniat Horatii (Od. I, 3, 8.) „serves animae dimidium meae", et prisca amicitiae definitio: „*φιλία ἐστὶ μία ψυχὴ ἐν δυοῖν σώμασι*", quae indicat, duobus amicis eandem voluntatem esse. Idem velle, idem nolle, parit amicitiam. Quam quidem sententiam satis graviter et nervose recentissimo tempore celebratissimus Liber Baro Münch de Bellinghausen, qui imperatori Austriaco a consiliis rerum administrandarum est, (Fridericus Halm) in tragoedia: Filius feritatis (Sohn der Wildniss) reddi-

---

[7]) Nam superstitiosi vocabulum Cicero (de nat. deor. II, 28.) a verbo superstes deducit. „Qui totos dies precarentur," inquit, „et immolarent, ut sui sibi liberi superstites essent, superstitiosi sunt appellati." Sic nos simili ratione dicere possimus, superstitiosum esse, qui credat, Moliones ex antiquissimis temporibus fuisse superstites.

[8]) Cfr. Festi de verborum significatione fragmenta, vid. Lindemanni corpus gramm. lat. vett. II. p. 221., Lips. 1832.

[9]) Lutherus formavit vocabulum Männin. Germanicum Frau est nomen maxime honorificum. Nam Frua, unde factum est, dea Germanorum veterum erat, quam ex carminibus antiquissimis Germanorum a Georgio Waitzio inventis et a Jacobo Grimmio solertissime expositis (Berol. 1842.) cognovimus. Eadem fuisse videtur atque Freja, quam principem Asyniarum, quae Asos divino in Scandinavia honore cultos comitari et ipsae coli solebant, fuisse, in dissertatione de Querxis p. 7. not. 19. commemoravimus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

dit, ubi Parthenia amorem ita describit: Zwei Seelen und ein Gedanke, zwei Herzen und ein Schlag. Magis eam amplificavit Jo. Fr. Guil. Tischer in concionibus sacris de animo humano (Predigten über das menschliche Herz) tom. III., Lips. 1842., ubi pag. 297. in concione de morte novo partu haec legis: Freunde und Freundinnen haben verschiedene Körper, aber einen Sinn, ein Herz, ein Streben. Was eins betrübt, fühlt der andere Theil. Es sind zwei Stimmen und doch ein Klang, zwei Herzen und doch ein Leben, zwei Wesen und doch ein Wille, ein Gedanke.

Liceat hic, quum de ratione, qua feminam ex viro natam esse olim statuerint, sermo sit, ea repetere, quae de hac re jam anno MDCCCXXXIV. in dissertatione de Querxis pag. 5. not. 9. ex Schimmelmanni conversione germanica primae partis Eddae Islandicae, quae Voluspa nuncupatur, pag. 112. dedimus, ubi creatio patris humani generis, Ymeri, ita narratur: per concursum frigoris Niflhemii et caloris Muspelhemii ex vaporibus congelatis in guttas dissolutis animal humana forma ortum est. Id quidem Ymer fuit. Qui quum dormiret, sudor ex ejus corpore manavit et mas atque femina (Madur et Kona) sub sinistro ejus lacerto sunt nati. Quae deinde his addidimus, quoniam cum iis, quae nunc tractamus, minus congruentia sunt, iterare non est hujus loci.

Quum autem homines primi nati essent, fama Hebraeorum eos vixisse dicit in amoenissima regione eaque fertilissima quaecunque ad victum et vitae jucunditatem pertinerent abundanter suppeditante. Sic vixerunt omnis miseriae expertes in paradiso, פַּרְדֵּס, horto amoeno, cujus vocabuli quum neque ex graeca neque ex hebraica lingua deduci possit origo, homines docti conferre solent sanscr. paradêscha et paradîscha, quod terram elatiorem significat, bene cultam, fertilem. Huic Hebraeorum paradiso aptissime respondet aurea aetas Graecorum et Romanorum, quam descriptam legimus apud Hesiodum (ἔργα καὶ ἡμέραι v. 43. — 46.)

Ῥηϊδίως γάρ κεν καὶ ἐπ' ἤματι ἐργάσσαιο,
Ὥςτε σέ κ' εἰς ἐνιαυτὸν ἔχειν, καὶ ἀεργὸν ἐόντα.
Αἶψά κε πηδάλιον μὲν ὑπὲρ καπνοῦ καταθεῖο,
Ἔργα βοῶν δ' ἀπόλοιτο καὶ ἡμιόνων ταλαεργῶν.

Dicit, hominem facile uno die tantum labore sibi parare posse, ut in annum satis sit adeo otioso, clavo in fumo posito, operibus boum cessantibus et mulorum laboriosorum, coll. ibid. v. 108. — 120.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Ὡς ὁμόθεν γεγάασι θεοὶ θνητοί τ' ἄνθρωποι.
Χρύσεον μὲν πρώτιστα γένος μερόπων ἀνθρώπων
Ἀθάνατοι ποίησαν Ὀλύμπια δώματ' ἔχοντες.
Οἱ μὲν ἐπὶ Κρόνου ἦσαν, ὅτ' οὐρανῷ ἐμβασίλευεν·
Ὥςτε θεοὶ δ' ἔζωον ἀκηδέα θυμὸν ἔχοντες,
Νόσφιν ἄτερ τε πόνων καὶ ὀϊζύος· οὐδέ τι δειλὸν
Γῆρας ἐπῆν, αἰεὶ δὲ πόδας καὶ χεῖρας ὁμοῖοι
Τέρποντ' ἐν θαλίῃσι κακῶν ἔκτοσθεν ἁπάντων,
Θνῆσκον δ' ὡς ὕπνῳ δεδμημένοι· ἐσθλὰ δὲ πάντα
Τοῖσιν ἔην· καρπὸν δ' ἔφερε ζείδωρος ἄρουρα
Αὐτομάτη[10]) πολλόν τε καὶ ἄφθονον· οἱ δ' ἐθελημοὶ
Ἥσυχοι ἔργ' ἐνέμοντο σὺν ἐσθλοῖσιν πολέεσσιν.
Ἀφνειοὶ μήλοισι, φίλοι μακάρεσσι θεοῖσι.

Describit eandem Ovidius metamorph. I, 90.—112. Omnes vindice nullo sua sponte fidem rectumque colebant, sicut in paradiso Adamus et Eva, omnes in aurea aetate erant tuti, nemo lucri studio agitatus pericula subiit, paucis contenti felices erant, bellum non gerebatur. Securi otia peragebant, neque agricultura quemquam vexabat, per se dabat omnia tellus; quae quidem etiam in paradiso ita facta esse narrantur. Quodsi Ovidius canit:

Flumina jam lactis, jam flumina nectaris ibant,
Flavaque de viridi stillabant ilice mella,

nos subit memoria saepius in V. F. repetitae descriptionis terrae, in qua lac fluit ac mel, Exod. III, 8. XIII, 5. XXXIII, 3. Lev. XX, 24. Num. XIII, 28. Deut. VI, 3. Jos. V, 6. Jerem. XI, 5. Ezech. XX, 6. Sed non negligendum est discrimen, quod talis terra ab Hebraeis non ad auream aetatem refertur, cui Ovidius eam tribuit, et quod secundum illos primum scelus in aurea aetate commissum, quum adhuc fruerentur fertilissimi horti amoenitate, hanc ipsam aetatem delevisse dicitur, secundum Ovidium vero auream aetatem primum secuta est argentea atque aenea, illa quidem miserior, sed scelerata demum ferrea proles fuit, quam

[10]) Herbas tenuiores, quarum semen propter tenuitatem non cernitur, et quibus radix non est valida, maxime quae annuae et herbaceae sunt, αὐτομάτους oriri putabant veteres. Quare Theophrastus de caussis plantarum I, 5. ita dicit: αἱ δὲ αὐτόματοι γίνονται μὲν τῶν ἐλαττόνων καὶ μάλιστα τῶν ἐπετείων καὶ ποωδῶν.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

fugere pudor, verumque fidesque,
In quorum subiere locum fraudesque doliquè
Insidiaeque et vis et amor sceleratus habendi. (met. I, 129. sqq.)

Sic igitur homines paullatim deteriores facti esse dicuntur, non uno peccato commisso subito, ut Hebraei narrant.

Regio, in qua primi homines felices vixerunt, dicitur גַּן בְּעֵדֶן, quocum ob vocis similitudinem Huetius in Alnetanis Quaestionibus [11]) p. 172. comparat hortos Adonidis (Plato Phaedr. ed. Ast. tom. I, p. 244.). Sed Huetium similitudine nominis deceptum res dissimillimas pro iisdem habuisse, ei patet, qui quales horti Adonidis fuerint, cognitum habet. Erant enim κῆποι Ἀδώνιδος vasa testacea (ὄστρακα, vid. Plutarch. de his qui sero a numine puniuntur, edit. Paris. 1624. tom. II. pag. 560.) vel argentea humo repleta, in quibus paullo ante festum Adonidis, quod abeunte hieme redeunte vere celebrabatur, de quo vide Lucianum de Syria dea (ed. Reiz. tom. III. p. 454. 456. §. 6. et 8.), triticum, foeniculum, lactuca serebatur, quae herbae magno calore, ut apud nos in hypocaustis plantarum, ad celerem germinationem adducebantur, ut iis festum ornaretur, sed eo peracto velocissime emarcescebant. Unde factum est, ut res breviter durans cum hortis Adonidis compararetur, sic vita immortalitate animi negata apud Plutarchum l. l. Eustathius ad Odyss. XI, 590. p. 1701. dicit, proverbialiter (παροιμιακῶς) de rebus sine fructu et brevi intereuntibus (ἐπὶ τῶν ἀκάρπων καὶ ὠκυμόρων) hortos Adonidis, contra de rebus detrimentum afferentibus (ἐπὶ τῶν ἀκερδῶν) dici arbores Tantali. Cfr. de hortis illis Eustath. l. l. et Creuzeri Symbolik (edit. 3.) II. pag. 417. sqq., ubi res fusius exposita legitur, coll. ibid. pag. 479. sqq., ubi pag. 481. etiam de more simili, quem hodie observant in Sardinia, mentio fit. Res ipsa magnam similitudinem habet cum more hieme expulsa aestatem salutandi, de quo tres libellos

[11]) Nomen habent, sicut Tusculanae Quaestiones a Tusculano praedio Ciceronis, ubi factae sunt, ex eo, quod Huetius, episcopus Abrincensis i. e. urbis Auranches, eas in Alnetano composuit, quum aliquando auctumnalibus feriis cum Hamelio, philosophiae et ingenuarum artium studiis liberaliter perpolito ruri viveret, quod otium suavissime contriverunt legendo, commentando, vel, quum inclinasset dies, inambulando simul et colloquendo. Alnetanum erat abbatia juxta oppidum Alnetum (Aunay vel Aulnay) in regione amoenissima inferioris Normandiae, quo Huetius se saepius recipere solebat aula relicta. Cfr. Huetiana, Amstelod. 1723. pag. XIV. XV., ubi Alnetanum hac libri inscriptione immortale factum esse dicitur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ad indicendas orationes Sylverstainianas annis 1839. 1840. et 1841. scripsimus. Praeterea conferatur Böttigeri Sabina P. I. pag. 261. sqq., qui pomorum simulacra cerea pro pomis adhibita fuisse dicit. Flores tamen non putaverim cereos appositos fuisse, fragiles quippe, sed ex carbaso aut serica veste confectos. Nam quas Plinius (hist. nat. XXI. cap. 3. sect. 8.) coronas e nardi folio aut veste serica versicolores unguentis madidas dicit, eae non videntur aliae esse, quam ex floribus arte factis et adeo odore naturam imitantibus nexae. Salmasius quidem (Plin. exercitatt. in Solinum pag. 393.) intelligit mitellas versicolores ex sericis vestibus usu detritis consutas. Magis tamen verisimile est Plinio (hist. nat. XXI. cap. 2. sect. 3.) collato, flores adhibitos esse ex lamina aerea tenui inaurata aut inargentata vel ex ramento e cornibus tincto factos, quibus utebantur hieme, quum terra flores negabat, nisi fuerunt re vera flores et fructus naturales per calorem producti, quod maxime probabile mihi videtur. Festum ipsum describit Theocritus idyllio quinto decimo, ubi v. 111. sqq. haec habet:

Ἀρσινόα πάντεσσι καλοῖς ἀτιτάλλει Ἄδωνιν.
Πὰρ μὲν οἱ ὥρια κεῖται, ὅσα δρυὸς ἄκρα φέροντι,
Πὰρ δ' ἁπαλοὶ κᾶποι, πεφυλαγμένοι ἐν ταλαρίσκοις
Ἀργυρέοις· Συρίῳ δὲ μύρῳ χρύσει' ἀλάβαστρα·
Εἴδατά θ', ὅσσα γυναῖκες ἐπὶ πλαθάνῳ πονέονται,
Ἄνθεα μίσγοισαι λευκῷ παντοῖ' ἅμ' ἀλεύρῳ· etc.

Quae quidem scholiastes ita interpretatur: *εἰώθασιν ἐν τοῖς Ἀδωνίοις πυροὺς καὶ κριθὰς σπείρειν ἔν τισι προγαστρίοις*, (vasis ventruosis, quae est lectio Letronnii sur les noms des vases grecques pag. 31.), *καὶ τοὺς φυτευθέντας κήπους Ἀδωνίους προσαγορεύειν.* Cfr. Creuzeri Symb. II. pag. 480.

Ex quibus elucet, cum paradiso rem ab hoc plane alienam ab Huetio comparatam esse. Neque minus idem errat, si eodem loco Aten ex Homeri Iliade XIX, 90.—95. cognitam, quae est dea malorum, quae omnem calamitatem hominibus affert, Atthan esse putat, quo nomine Eva ab Onkelo appellata sit (in Gen. II, 23.). Haec propterea addenda esse censuimus, ut tirones discant cavere, ne simili vocabulorum sono ad conjecturas adducantur temerarias. In regione illa amoenissima narratur fuisse עֵץ הַדַּעַת טוֹב וָרָע, arbor cognitionis boni malique. Cognitio boni malique Hebraeis signum est maturae intelligentiae, nec tantum opponitur ignorantiae, sed etiam puerili innocentiae, quae comeso fructu illius arboris perdita est. Simillima ratione

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

apud Homerum (Odyss. XVIII, 228.) Telemachus, quum mater ei exprobrasset, quod non amplius sit mente proba integrisque moribus, se nunc dicit bene nosse, quae probanda sint, quae mala, antea se fuisse infantem, nunc non amplius esse. Sic ergo, qui bonum a malo bene discernere potest, non amplius infans (νήπιος) habetur, sed idem innocentiam puerilem perdidisse censetur. Eadem ratione fructu gustato primi homines prudentiam sunt adepti, וַתִּפָּקַחְנָה עֵינֵי שְׁנֵיהֶם (Gen. III, 7.), sed pristina innocentia simul erat amissa. Qui antea sine ullo pudore sicut infantes nudi una fuerant, nunc pravas sentiebant libidines. Sic prudentia affert mala, quod quidem etiam historia Promethei docet. Nam hic quum ignem diis surripuisset, per quem artes et delicatiorem victum hominibus attulit,

Post ignem aetheria domo
Subductum Macies et nova Febrium
Terris incubuit cohors. (Hor. Od. I, 3, 29. sqq.)

Quum autem ex horto amoeno, in quo aurea aetas fuit antiquissimis hominibus, expulsi essent, deus ibi collocavit, ut custodirent viam, quae ad arborem vitae duceret, ne homines ad eam accedere possent, cherubos et flammam gladii vibrati, אֶת־הַכְּרֻבִים וְאֵת לַהַט הַחֶרֶב הַמִּתְהַפֶּכֶת (Gen. III, 24.). Similes videntur esse custodes mortalium apud Hesiodum, (ἔργα καὶ ἡμέραι v. 120. sqq.):

Αὐτὰρ ἐπειδὴ τοῦτο γένος κατὰ γαῖα κάλυψεν,
Τοὶ μὲν δαίμονές εἰσι Διὸς μεγάλου διὰ βουλὰς
Ἐσθλοὶ, ἐπιχθόνιοι, φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων·
Οἱ ῥα φυλάσσουσίν τε δίκας καὶ σχέτλια ἔργα,
Ἠέρα ἑσσάμενοι πάντῃ φοιτῶντες ἐπ' αἶαν,
Πλουτοδόται· καὶ τοῦτο γέρας βασιλήϊον ἔσχον.

Cum his tamen etiam comparare licet angelos, hominibus prospicientes, v. c. Psalm. XXXIV, 8., ubi angelus dicitur iis adesse et auxiliari, qui deum colunt, et Ps. XCI, 11., ubi angeli jubentur hominem ubique tueri. [12]) Comites esse

---

[12]) Etiam locum Psalm. CIV, 4. vulgo de angelis, sed perperam, ita intelligunt: facit angelos suos ventos et famulos suos ignem flammantem, utitur angelis tanquam ventis et ministris tanquam fulminibus, quod quidem per locum epist. ad Hebr. I, 7. confirmari videtur, sed manifesto alii rectius exponunt sic: utitur ut sibi nuntii sint, ventis, et ut ministri sint, fulminibus, quod quidem re ipsa comprobari videtur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

angelos hominibus, ut iis praesidio sint, philosophi veteres statuebant, et geminum unicuique homini ab ortu datum esse, erat opinio Empedoclis (cfr. Plutarchus de animi tranquillitate, edit. Paris. 1624. tom. II. p. 474.) et Euclidis Socratici, (cfr. Censorinus de die natali c. 3.); unum tantum statuit Menander, quod Plutarchus l. l. improbat. Menandri versus, quos servabant nobis Clemens Alexand. Strom. lib. V., edit. Sylburg. Colon. 1688. pag. 610. et ex parte Ammianus Marcellinus XXI, 14. ac plures alii, sunt hi:

Ἅπαντι δαίμων ἀνδρὶ συμπαρίσταται
Εὐθὺς γενομένῳ, μυσταγωγὸς (i. e. *φύλαξ*) *τοῦ βίου*
Ἀγαθός· κακὸν γὰρ οὐ νομιστέον
Εἶναι, βίον βλάπτοντα χρηστόν.

Pervulgatum inprimis est, quod de Socratis genio Xenophon memor. I. 1, 2. 4. dicit, *δαιμόνιον* Socrati indicasse, quid faciendum sit, quid omittendum, coll. memor. IV, 8, 1. 5.; *δαιμόνιον* vero esse angelum, ex Platonis Symposio (ed. Ast. III. p. 500. 202.) intelligere potes, ubi haec legis: *πᾶν τὸ δαιμόνιον μεταξύ ἐστι θεοῦ τε καὶ θνητοῦ.* Angelus enim est medius inter deum et hominem. Quodsi veteres philosophi singulis hominibus angelum tutelarem tribuunt, qui etiam in Cebetis tabula repraesentatur cap. 4., in qua senex conspicitur, qui daemon nominatur, et ingredientibus templum praecipit, quid eos oporteat facere, qua via incedere, ut in vita serventur, non quidem in V. F. hoc ita me legere memini, sed idem legitur Matth. XVIII, 10., ubi *ἄγγελοι τῶν μικρῶν* commemorantur, praesides et custodes parvulorum, quibus hodie adeo interdum matres multis negotiis occupatae curam parvulorum committunt. Sic aliquando mulier rustica agricultura occupata, quum ei aliquis, qui puerulum in mensa sedentem ad marginem lapsum repererat ita ut paullum abesset, quin decideret, negligentiam exprobraret, respondisse fertur: quid esset angelis negotii, nisi puerulos cura sua tueri velint? Plura de hac re docte exposuit Huetius in veteribus scriptis multum volutatus (Alnetanae Quaestiones II, 4.). Si tamen rem accurate exploramus, illi custodes mortalium hominum neque cum angelo homines ab horto arcente neque cum angelis tutelaribus plane congruere videntur. Namque Hesiodus intelligere videtur genios, qui hominum mores clam (caligine induti, *ἠέρα ἑσσάμενοι*,) per totam terram observent sive justa sive prava faciant, (*δίκας καὶ σχέτλια ἔργα*). Videntur esse speculatores, idque Plutarchus (de oraculorum defectu, ed. Paris. 1624. tom. II. p. 417.) confirmat. Dicit enim, genios esse, qui

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tueantur sacra deorum et orgia obeant (ἐπισκόπους θεῶν ἱερῶν καὶ μυστηρίων ὀργιαστάς). Sed si Platonem consulimus, qui in Cratylo (ed. Ast. III. p. 146.) priores tres versus ita affert:

Αὐτὰρ ἐπειδὴ τοῦτο γένος κατὰ μοῖρ' ἐκάλυψεν
Οἱ μὲν δαίμονες ἅγνοι ἐπιχθόνιοι καλέονται
Ἐσθλοὶ, ἀλεξίκακοι, φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων,

eo deducimur, ut angelos, qui mala avertant, averruncos intelligendos esse statuamus. Per flammam gladii vibrati vulgo significari arbitrantur fulgur a deo missum, ac comparandus videtur cum his verbis vibratus ab aethere fulgor, quod signum coelo dedit Cytherea aperto, Virgil. Aen. VIII, 524. Alii illam flammam prodiisse existimant ex bitumine, cujus magna fuit in Babylonia copia. Cfr. Eratosthenis fragmentum de bitumine in edit. Seidelii, Götting. 1789. lib. III. p. 185. et Plin. hist. nat. II. c. 105. sect. 109. Erat tractus naphthae, quod est genus bituminis, plenus, cujus vis ignium naturae est cognata teste Plinio XXXV. c. 15. sect. 51., et transiliunt in eam ignes undecunque visam teste eodem priore loco. Dicit Plutarchus in vita Alexandri c. 35. (edit. Par. 1624. tom. I. pag. 685.) adeo, naphtham incendi saepe ex splendore lucis, quum flammam non attigerit. Idem dicit (Symposiac. V. quaest. 7. tom. II. pag. 681.), non mirum esse, quod naphtha flammam concipiat ex intervallo (ἐκ διαστήματος), quia amor quoque ex longinquo accendatur. Etiam Curtius V, 1, 16. illis in locis cavernae meminit ad Mennim urbem, ex qua fons ingentem vim bituminis effundat adeo, ut satis constet, Babylonios muros ingentis operis hujus fontis bitumine interlitos esse.

Verum per mulierem ex viri costa natam scelera et miseriam, omnisque generis mala in vitam hominum illata esse, sicut Hebraeorum historia, ita Graecorum quoque memoriae prodit. Nam Hesiodus (ἔργα καὶ ἡμέραι v. 60. sqq.), postquam humano generi communem cum diis originem tribuit, Vulcanum Jovis jussu refert ex luto finxisse virginis figuram, quae prima fuerit femina et Pandora sit dicta, omnibus quippe donis ac venustatibus a diis deabusque ornata, ex cujus pyxide quum improvidus Epimetheus, providi Promethei frater, operculum removisset, omnia mala inter homines prosiluisse narrantur. Quae vero partes in hominibus immortalitate privandis serpenti dantur in V. F., easdem tribui eidem animali in humano genere juventute spoliando, ex Nicandri theriacis ostendimus parte V. hujus libelli pag. 7. sqq.

Hoc unum addere liceat, veteres Graecos paradiso similiter descripsisse

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

hortos Hesperidum, (de quibus conferendi sunt Apollodorus II, 5, 11. coll. Athen. III. p. 83. Schol. ad Argonaut. Apollon. v. 1396. Hesiod. theogon. 517. sqq.), ubi aurea poma (mala aurantia, secundum Athenaeum citrea) a dracone custodiebantur, quem secundum Servium ad Virg. Aeneid. IV, 484. et Hyginum Astron. II, 3. Juno misisse dicitur, quia Hesperides saepius poma ex arbore decerpserint. Virgilius ipse pro hortis templum Hesperidum et sacerdotem commemorat Massylae gentis, de qua ita dicit:

Hesperidum templi custos epulasque draconi
Quae dabat, et sacros servabat in arbore ramos.

Nec possumus silentio praeterire numum, quem Ezech. Spanhemius in observationibus in hymnos Callimachi p. 670. depictum exhibet. Conspicitur in eo Hercules poma decerpturus. Draco arborem amplexus caput demittit quasi ictu clavae sopitus. Femina adstat Herculi supplex, quasi ejus conatum impeditura, duae aliae fugiunt. Serpens, nomine Ladon[13]), dicebatur centum habuisse capita et ex unoquoque terribilem sibilum edidisse, neque unquam dormivisse.[14]) Sed in numo commemorato unum caput habet. Ad hunc numum Antonini Pii explicandum Ezech. Spanhemius hos versus Apollonii Rhodii Argon. IV, 1396. sqq. affert:

ὦ ἔνι Λάδων
Εἰςέτι που χθιζὸν παγχρύσεα ῥύετο μῆλα

---

[13]) Eodem nomine unus canum nuncupatur, qui dominum suum Actaeonem, Aristaei et Autonoes filium, Cadmi nepotem dilacerabant. Nominatur apud Hyginum fab. 181. et Ovidium metamorph. III, 216., qui ei substricta ilia tribuit. Conspexerat Actaeon castam Dianam, quum nuda cum Nymphis lavaretur. Quo facto dea irata eum in cervum mutavit ac canes ignari dominum dilaniabant. Cfr. Callimachi Hymnus in lavacrum Palladis v. 113., Hygin. fab. 180., qui eum Dianam violare voluisse addit, et Pausanias IX, 2. 3., qui dicit, sua aetate illud saxum Actaeonis dictum esse, ex quo hic Dianam intuitus sit, quippe in quo dormire sit solitus.

[14]) Pater draconis secundum Hyginum (vid. Mythographos latin., ed. Munckeri tom. I. pag. 12.) et Apollodorum II, 5, 11. erat Typhon, mater Echidna, secundum Hesiodum (theogon. v. 333.) pater Phorcys, mater Ceto; minus recte Schol. ad Argon. IV, 1396. dicit, Hesiodum patrem draconis Typhonem vocare, Pisandrum autem ait serpentem terrae prolem dicere, atque Phorcys et Ceto eodem auctore parentes Hesperidum erant. Ei servanda data esse pomaria, narrat quoque Ovidius metam. IV, 646.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Χώρῳ ἐν Ἄτλαντος, χθόνιος ὄφις· ἀμφὶ δὲ Νύμφαι
Ἑσπερίδες ποιπνύον, ἐφίμερον ἀείδουσαι.

Cfr. J. G. Hassii Entdeckungen im Felde der ältesten Erd- und Menschengeschichte P. I. p. 194. sqq. Plura de hac re exposuit Rosenmüllerus in scholiis in V. T., Lips. 1821. Partis I. Vol. I. p. 111. sqq. De loco, ubi illi horti fuerint, multa sunt disputata, sed verisimillimum est, quod Anglus Beechey nuper proposuit in descriptione itineris in Africa (Trávels in Africa). Reperisse sibi visus est locum illorum hortorum juxta urbem Bengazi[15]) in arenoso deserto Sahara, ubi inter sabulum uberrima et feracissima eminet regio, quae adeo camelos et equos magna afficit voluptate. Ea vigentis et florentis horti instar adspicientem delectat, et inprimis valles sunt et quasi fauces terrae non ante conspicuae, quam ad marginem earum accesseris, quae splendentes pulcherrimo flore meridionalium plantarum, arduis parietibus petrarum inclusae, magica arte productae esse videntur, et maxima admiratione contemplantem implent. Scylax (vid. ejus Periplus, Amstelod. 1639. pag. 44.) dicit, illos hortos clausos undique inaccessos fuisse et uberrimis arboribus pomiferis impletos, ὁ κόλπος (vallis profunda) τῶν Ἑσπερίδων ἐστὶν ἀπότομος κύκλῳ, οὐδαμοῦ ἔχων κατάβασιν, σύσκιος δένδρεσιν ἐμπεπλεγμένοις ἐν ἀλλήλοις, ὡς ὅτι μάλιστα πυκνοτάτοις.

Hercules, ut nonnulli narrant, occidit draconem et poma abstulit, Hyg. Astron. II, 3. In Apollonii Rhodii Argonauticis IV, 1400. sqq. haec legis:

Δὴ τότε δ᾽ ἤδη τῆμος ὑφ᾽ Ἡρακλῆϊ δαϊχθεὶς
Μήλειον βέβλητο ποτὶ στύπος· οἰόθι δ᾽ ἄκρη
Οὐρὴ ἔτι σκαίρεσκεν· ἀπὸ κρατὸς δὲ κελαινὴν
Ἄχρις ἐπ᾽ ἄκνηστιν κεῖτ᾽ ἄπνοος.

Tum dicuntur Hesperides acuta voce gemuisse, Hercules vero mala abstulisse (οἴχετ᾽ ἀειράμενος v. 1430.) Deinde siti laborans rupem calce pedis feriit imam, et copiosa ebulliit aqua atque rupta (v. 1448.) ex petra bibit largissime.

Haec quidem postrema narratio admodum similis est iis, quae de Mose legimus, Exod. XVII, 6. et Num. XX, 10. 11., quibuscum jam in hac dissertatione Part. VII. pag. 9. 10. alia ejusmodi comparavimus, quae profani scriptores referunt, de Atalante venatione defatigata et Rhea, quae Jovem

[15]) Quae urbs esse videtur vetus Berenice Hesperis in Cyrenaica s. urbs Hesperidum, juxta quam horti Hesperidum fuisse narrantur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

modo partum flumine, quod monte percutiendo produxerat, lavit; idem autem Herculi contigisse non memoravimus.

Sunt autem Hesperides secundum Diodorum Siculum IV, 27. etiam Atlantides nominatae. Nam pater erat Atlas, mater Hesperis, Hesperi, fratris Atlantis, filia. Erant vero septem, vel secundum Fulgentium (Virgil. continent. in Mythograph. latin., ed. Munckeri tom. II. Amstelod. 1681. pag. 155.) quatuor, quarum nomina haec habet: Aegle, Hesperie, Medusa, Arethusa, quae quidem ab aliis ita exhibentur: Eglo, Hesper, Medusa, Eretusa. Alii, sic Hyginus praefat. ad fabb. (cfr. Mythograph. lat. tom. I. pag. 2.), tres nuncupant, Aeglen, Hesperien et Aericam, cui postremo nomini substituendum videtur aliud vel Erythia, vel Hestia. Apollodorus II, 5, 11. quatuor novit has: Aeglen, Erythiam, Hestiam, Arethusam. Suavis cantus iis tribuitur. Hesiodus (theogon. 275.) dicit λιγυφώνους, Euripides (Herc. fur., ed. Matthiae v. 391.) ὑμνῳδούς, et (Hippol., ed. Matt. v. 738.) ἀοιδούς, Apollon. Argonaut. IV, 1399. ἐφίμερον ἀειδούσας (vid. pag. 16.), jucundissime canentes. Mala aurea secundum Diodorum erant oves mira pulchritudine, colore autem flavae et auro similes (τῷ μὲν κάλλει παράδοξα, τῇ δὲ χρόᾳ ξανθὰ καὶ χρυσοειδῆ), quas Hesperus et Atlas, fratres, habebant, quae quidem a poëtis τὰ πρόβατα (oves) μῆλα (poma) vocantibus aurea poma sint appellatae. Hesperides Busiris, Aegyptiorum rex, earum amore captus, rapi jussit, quas tamen raptoribus interfectis Hercules patri restituit. Hesiodus eas Noctis filias (theogon. v. 215.) nominat.

His ita expositis quae de similitudine in describendo diluvio Noachico ac Deucalioneo eramus scripturi, addere non licet limites hujus libelli jam transgressis. Adjiciamus igitur, qua ratione solemnia Rudolpho Ferdinando Libero Baroni a Sylverstain et Pilnickau de schola nostra meritissimo sacra cras simus acturi.

Primum ipse verba faciam de infinita libertate typographica nondum optanda.

Deinde Carolus Hermannus Finster, Gorlicensis, civis primae classis, demonstrabit, non posse fieri, ut numen divinum singulis hominibus tantum mala, aliis tantum bona tribuat.

Tum Bernhardus Otto Schmaltz, Rückersdorpio-Sprottaviensis, tertiae classi adscriptus, exponet, pietatem consecrare literarum studium.

Denique Carolus Ludovicus Frölich, Tzchirndorpio-Saganus,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

qui scholis quartae classis interest, disseret de grato animo rebus creatis innato.

Utemur omnes sermone patrio, et adolescentes modo nominati prodibunt, quia sunt beneficii Sylverstainiani participes.

Quodsi Gymnasii fautores omnium ordinum memoriam praeclari viri nobiscum recolere velint, hoc benevolentiae documentum juvenes nostros in ardore studiorum maximopere confirmabit, et nobis gratae erit laetitiae.

P. P. die XXX. Maji MDCCCXLIII.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

qui scholis quar… …animo rebus creatis innato.

Utemur or… …lo nominati prodibunt, quia sunt benef…

Quodsi G… …iam praeclari viri nobiscum recolere … …enes nostros in ardore studiorum maxi… …laetitiae.

P. P. die …

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf